

non est aliud, quam specificatum actum elicere, quia specificatio non nisi in aliquo actu produci potest.

LIV. Contra roboratur argumentum, quia si determinatur a bono apprehenso ut eliciat hunc determinatum actum, ergo bonum apprehensum se habet ut principium quo determinans hanc voluntatem ad eliciendum, ergo ut principium efficiens quo: sicut etiam ipsum objectum intelligibile relucens in phantasmate concurrat cum intellectu agente ut instrumentum, vel principium quo producendi speciem, et cum intellectu possibili ad producendam intellectionem; ergo etiam effective concurrat tale objectum cum voluntate ad volitionem, quia determinat eam, sunt enim causæ ordinatæ inter se: ergo induunt eundem modum, et rationem causandi.

LV. Respondetur sensum D. Thomæ in illis locis, et aliis similibus esse, quod bonum est principium activum specificando, non efficiendo, et voluntas est potentia passiva, quantum ad indifferentiam talis specificationis, quæ tamen specificatio solum est ab objecto in genere causæ objectivæ, et formalis, non effectivæ. Principium autem activum non solum appellari potest id, quod in genere efficientis causat, sed etiam quod in genere causæ formalis, quia sua actualitate, et formatione causat, et formatio, seu actualio, quasi quoddam activum est erga potentialitatem. Sumitur autem hæc explicatio ex ipso D. Thomæ, qui in hac quæstione IX, articulo I, et I part. q. LXXXII, articulo I, ubi ex operato tractat hanc quæstionem, docet objectum solum movere quoad specificationem (quæ est motio in genere causæ formalis extrinsecæ) non autem effective, et quoad exercitium, sicut etiam ob-

jectum potentiæ cognoscitivæ concurrat movendo quoad specificationem, in quantum objectum, non autem effective, nam effective movetur potentia a principio efficiente species, et per eas immutante potentiam. Quod quidem principium effectivum, seu productivum specierum aliquando est ipsummet objectum, licet non ut objectum, sicut in sensibus externis videmus nasci species, et provenire ab ipsis objectis, licet non secundum causalitatem, et influxum objectivum, sed quia alias habent aliquam vim producendi effective illas. Aliquando vero non ipsum objectum effective producit species, sed est alia causa efficiens species, alia objectum movens, vel terminans, sicut intellectus agens in nobis producit effective species intelligibiles, non tamen intellectus agens est ipsum objectum, cuius species efficit, sed in phantasmatibus relucet.

LVI. Ad rationem respondetur, quod specificatio, quæ in ipsis actibus est, procedit effective ab illo principio, a quo elicitur, et procedit actus in individuo, et quoad exercitium, sicut ab eodem generante producit effective natura specifica Petri, et individuatio ejus. Sic ergo a voluntate producit elicitive, et effective actus in sua specie, et in suo individuo; ab objecto autem pendet in genere causæ objectivæ, et formalis, aut etiam finalis. A Deo autem dependet ille actus, ut ab influente in entitatem actus, et ut excitante intellectum, et applicante, seu movente voluntatem, quod quidem in primo voluntatis actu Deus facit se solo, et ibi operatur gratia, non cooperatur, quia solus Deus movet in illo actu, quia primus est, nec habet voluntas alium priorem, quod se moveat: in aliis autem actibus sequentibus, non se solo movet Deus, et operatur, sed

simul cum voluntate se movente cooperatur, et ipsa voluntas se applicat, et determinat, sicut ex voluntate finis se movet ad voluntatem mediorum motione, seu applicatione effectiva, et quoad exercitium.

LVII. Et quando dicitur, quod voluntas est in potentia, et indifferens ad eliciendum talem actum, respondetur quod non est indifferens indifferentia suspensiva, et indeterminata, quæ sola impedit operationem; sed determinatur, et inducitur ad operandum, tum ab ipso objecto in genere causæ formalis extrinsecæ, seu per modum specificantis; tum ab ipso Deo in genere causæ moventis, et operantis, ad primum quidem actum se solo, ad reliquos autem actus sic moventis, et determinantis, ut etiam ipsa voluntas se determinet, et moveat per imperium, vel per usum, transeundo de uno actu ad alium.

LVIII. Et ad replicam, quod si bonum apprehensum determinat, habebit se ut principium quo efficiens, dicimus, quod non se habet nisi ut principium pure specificans, vel finalizans, seu principium objectivum: sed est differentia inter principium objectivum voluntatis, et intellectus, quod objectum intellectus debet intra ipsum intellectum modo intelligibili, et intentionali poni ut ipsum determinet, et actu, eo quod notitia paritur ab objecto, et potentia, elicitur enim ab intellectu, et emanat per modum cuiusdam assimilationis, qua ipsa potentia cognoscitiva fit ipsummet objectum in esse intentionali, et representativo. Unde oportet, quod objectum prout in specie relucens, et in esse intelligibili positum ita actu et intrinsece intellectum, quod illum actu, et determinet ad eliciendum ipsam intellectionem per modum formæ intelligibilis, cui fit

assimilatio, et consequenter non repugnat, quod effective concurrat representativa, seu loco objecti ad talem cognitionem, quia forma, quæ intrinsece actu, et informat in ordine ad actum, et tamquam principium assimilandi sibi aliquid, ex ipso modo informandi habet etiam in actum effective influere, præsertim ut accipit influentiam ex ipsa virtute elicitiva potentiæ, quæ determinat, et actu. At vero objectum voluntatis non trahitur intra voluntatem, nec eam actu, et informat intrinsece in ordine ad assimilationem, sed solum movet ut propositum, et manifestatum in intellectu.

LIX. Unde non concurrat effective ut forma inhærens agenti, sed ut pure objectum ab extra movens, et specificans. Objectum autem in phantasmate relucens non concurrat cum intellectu agente effective, sed objective, vel etiam instrumentaliter, ut diximus in libris de anima, quæstione decima. Species autem intelligibilis, quia est forma illi inhærens entitative, ipsumque actuans intentionaliter, potest concurrere effective ad actum, non autem movere, et applicare intellectum effective, quia forma inhærens non operatur effective in suum subjectum, quia nunquam operatur forma aliqua ut quo, nisi in concreto, et ipso subjecto operante ut quod, sed ipsa forma cum subjecto operatur, et influit in actum, qui elicitur a potentia actuata specie. Quod non currit in objecto voluntatis, quia non inhæret potentiæ, nec informat illam ad eliciendum actum, sed tantum ei proponitur. Nec oportet quod omnes causæ subordinatæ sint in eodem genere causæ, sed materialis subordinatur formali, et formalis efficienti, et illa finali. Et sic est in proposito. Non autem est necesse, quod si subordinatur efficiens

alteri, ista etiam sit efficiens, sed potest esse finalis, vel objectiva formalis, et specificans.

ARTICULUS V.

Quæ objecta necessario moveant voluntatem, et quis modus movendi ab exteriori illam necessitet?

I. Pauca circa necessitatem voluntatis ortam ab objectis attingemus in præsentibus, quia alibi a nobis tractata sunt. Et circa modum movendi, quo voluntas ab exteriori principio influente, et movente illam immutari potest, explicavimus breviter aliqua quæ D. Thomas in præsentibus quæstionibus dicit, et conducunt ad intelligendum quomodo motor extrinsecus determinet voluntatem, et quomodo possit illam necessitare, vel non.

QUID MOVEAT NECESSARIO QUOAD SPECIFICATIONEM.

II. Sæpe dictum a nobis est, quomodo distinguatur libertas quoad specificationem, et quoad exercitium, et similiter necessitas quoad utrumque. Et cum specificatio in actibus sumatur ab objecto, exercitium vero, seu elicientia a subjecto, ejusque potentia, et vi operativa, oportet necessitatem, aut libertatem quoad specificationem ex objecto ipso colligere, quando videlicet relinquit, vel non relinquit indifferentiam in ipso objecto, ut operatur. Igitur necessarium quoad specificationem, ut etiam supra disputatione secunda attigimus, est id quod ex parte objecti non habet indifferentiam ut non ametur, sed totum quod in objecto relucet amabile est, seu amoris terminativum, non odii, aut fugæ. Liberum quoad specificatio-

nem est, quod ex parte objecti indifferentiam, et indeterminationem habet ut prosequatur, vel fugiatur, id est, ut bonum, vel malum appareat, eo quod prosecutionis objectum est bonum, fugæ malum. Quod ergo solum potest objici tamquam bonum, non manet indifferens, et liberum in ipsa ratione objecti, quæ est principium specificationis, et sic est necessarium quoad specificationem, id est, quoad rationem objectivam. Necessarium quoad exercitium est quod non relinquit indifferentiam, et liberum ipsum principium volendi in elicientia actus, ad quod requiritur, quod nec possit divertere propositionem objecti, nec eo proposito possit retinere elicientiam actus. Liberum quoad exercitium est e contra, quod relinquit indifferentiam ipsum principium elicitivum actus, et potens elicere, vel non elicere, sive id faciat divertendo propositionem objecti, sive proposito objecto in utramque partem volendi, aut nolendi, accipiendo unum, et relinquendo aliud, sive etiam suspendendo actum, licet nunquam suspensio sit pura, et absoluta extinctio omnis actus si voluntaria est, ut disputatione tertia diximus.

III. Ex quo etiam sequitur, quomodo discernenda sit libertas contrarietatis, et contradictionis, quod illa respicit oppositionem objectorum in ratione boni et mali, convenientis aut disconvenientis: hæc respicit oppositionem actuum penes procedere, aut non procedere, elici, vel non elici a subjecto, seu a principio. Et ideo libertas ista, seu oppositio actuum est contradictionis, quia versatur inter terminos contradictorios, scilicet esse et non esse a suo principio, elici vel non elici actum. Semper tamen isti modi libertatis cum præcisione sumendi sunt, ita quod libertas contradictio-

nis solum consideretur penes ipsum egredi, vel non egredi actionis. Si vero ex tali omissione, aut negatione elicientiæ sequatur, aut refundatur aliquid mali, et difforme rationi in objectum omissum, vel commissum, sic non manebit in ratione puræ libertatis contradictionis, sed admiscebit aliquid de libertate contrarietatis, quatenus objectum relinquitur malum. Unde oportet valde caute procedere in hac parte, et attendere ne mutetur appellatio, transeundo de pura contradictionis libertate ad contrarietatem, ut in actibus Christi Domini posito præcepto, cum dicitur: Poterat operari, et non operari instante præcepto; si non operaretur peccaret, seu frangeret præceptum; ergo si poterat non operari, poterat peccare. Mutatur appellatio de libertate contradictionis in libertatem contrarietatis. Nam in majori, posse operari, et non operari, intelligitur præcise, ut explicat libertatem contradictionis; in minori vero ly non operari, sumitur etiam contrarie, et prout inducit malitiam moralem, et sub hac formalitate non poterat operari illud ut malum, licet quoad physicam egressionem actus, et quoad exercitium in hoc, vel in illo individuo actus posset alium actum operari, et istum non operari, cum uterque sit bonus.

IV. His suppositis juxta ea quæ in libris de anima, quæst. XII, art. IV, nobis tractata sunt, dicendum est ex D. Thoma id quod necessarium movet quoad specificationem reduci ad unum objectum formale, et ad duas conditiones inclusas. Objectum formale est beatitudo in communi, et multo magis si intuitive, et in se videatur in particulari illud objectum, quod est essentialiter, et in se intrinsece tota ipsa beatitudo adæquate, id est, Deus ipse clare visus. Conditiones autem in

tali objecto inclusæ sunt duæ, scilicet ipsum esse, seu vivere, et bene esse, id est, sine defectu esse, hoc enim est bene esse. Unusquisque enim naturaliter vult bonum satiativum sui, et hoc est beatitudo. Non potest autem habere bonum satiativum sui, nisi supponat tamquam fundamentum ipsum esse, seu vitam, quia sine vita non potest bene vivere, et satiative esse. Secundo, requiritur ex parte consummationis, et termini quod hoc esse bene habeat, id est, sine deficientia, quia si aliquid deficit ex his, quæ debentur, vel quorum est capax, non est plene satiativus, et consequenter neque beatus. Hæc ergo per se necessario appetuntur necessitate specificationis, et quantum est ex parte objecti, quia in ipso objecto nihil relucet de malo, seu de objecto fugæ, ergo si voluntas fertur in illud, de necessitate, et determinate debet amare: nec est ibi indifferentia ad prosequendum, vel fugiendum ex parte objecti, cum non nisi bonum repræsentet, licet non liget voluntatem ut non possit inde divertere, et sic non in exercitio necessitetur amare. Et eodem modo ea quæ necessariam connexionem, et per se habent cum tali objecto eadem necessitate, quoad specificationem amantur. Quæ vero talem connexionem per se, et necessario non habent, non necessario appetuntur etiam ex parte objecti.

V. Hanc doctrinam docuimus citato loco librorum de anima ex D. Thoma, tum in hac prima secundæ, quæst. X, art. II ad tertium; tum quæst. VI de malo, articulo unico ad septimum, et videri potest I p. q. LXXXII, art. II, et q. XXII de veritate, art. V et VI. Sufficit notare verba, quæ ponit doctor sanctus in hac quæstione, decima, cum inquit: « Quod finis ultimus de necessitate movet voluntatem, quia est bonum